

## QUÆSTIO XLIII.

### DE MISSIONE PERSONARUM DIVINARUM.

#### SUMMA LITTERÆ.

Ultima consideratio comparativa Personarum divinarum est in ordine ad creaturas secundum quod dicuntur Personæ ad creaturas mitti, vel ad eas venire, non quidem ad existendum in eis solum per immensitatem, et operationem creativam, qua existunt in omnibus creaturis, sed secundum manifestationem sui, et inhabitationem in creaturis. Et ideo missio solum fit ad creaturas rationales. Et de hac missione tractat D. Thomas in hac quæstione.

In articulo primo ostendit aliquibus Personis divinis convenire mitti, quia et habent procedere a mittente, et habent aliquid de novo ponere in creatura, quod pertinet ad terminum missionis, sicut habitudo ad mittentem pertinet ad originem, et processionem.

In articulo secundo ostendit quod missio non est æterna, sed temporalis, propter connotationem termini ad quem est missio, qui de novo fit in creatura, licet supponat processionem ab æterno intra ipsum Deum, sed hæc non denominatur missio quo usque ponatur terminus temporalis ad quem est missio.

In articulo tertio ostendit quod missio invisibilis ad animam solum fit connotando effectum gratiæ sanctificantis, eo quod missio invisibilis est ad hoc ut Personæ inhabitent in anima, taliter quod illis possit anima frui, quod solum habetur per gratiam sanctificantem.

In articulo quarto ostendit quod Pater non dicitur mitti, licet se communicet, et inhabitet per gratiam in anima, eo quod Persona Patris non procedit ab alio, et sic non est in anima per missionem quæ processionem ab alio importat.

In articulo quinto ostendit quod etiam Filio convenit mitti invisibiliter per gratiam ad animam, eo quod inhabitat in anima, et anima fruitur illo, et ad hunc effectum procedit ab alia Persona, scilicet a Patre, et hoc sufficit ad missionem.

In articulo sexto ostendit quod ad omnes qui sunt in gratia fit missio invisibilis Personarum, quatenus novo modo per gratiam in illis existunt, et ad hoc procedunt.

In articulo septimo ostendit quod etiam Spiritui Sancto convenit mitti visibiliter, et non solum Filio; Filius enim missus est visibiliter per incarnationem, per quam apparuit visibilis in carne, tamquam totius sanctificationis auctor; Spiritus sanctus autem missus est visibiliter apparendo in aliquibus signis sanctificationis, non autem assumendo naturam visibilem in unitate suæ Personæ.

In articulo octavo ostendit quod Persona missa solum mittitur ab ea a qua procedit, quantum ad habitudinem processionis quam importat missio: sed tamquam ad terminum ad quem, seu effectum de novo quem connotat, etiam a Persona a qua non procedit, talis effectus fit, cum a tota Trinitate fiat.

## DISPUTATIO XVII.

DE MISSIONE PERSONARUM DIVINARUM.

### ARTICULUS I.

*Quid sit missio, et quibus Personis conveniat?*

I. Mitti divinas Personas frequentissime in Scriptura legitur, ut Joan. viii: *Testimonium perhibet qui misit me Pater*: Joan. x: *Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum*: et de Spiritu sancto dicitur Joan. xiv: *Quem mittet Pater in nomine meo*: et Joan. xvi: *Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*, et sic constat istas duas Personas Filii et Spiritus sancti ad creaturas mitti, sive missio ipsa visibilem effectum, et manifestationem habeat, sicut cum Filius missus est ad incarnandum, sive invisibilem, sicut cum mittitur ad sanctificandum animam, de quo dicemus postea: « Solus Pater, ut dicit Augustinus ii de Trinitate, cap. v, nunquam legitur missus. »

II. Ut autem explicemus quid sit ista missio, et quibus Personis conveniat, notandum est, missionem in communi loquendo significare processionem, seu egressionem ab aliquo cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum de novo: ad id enim quod ante jam aliquis faciebat, vel ubi jam erat, non dicitur mitti; sicut legatus, vel procurator dicitur mitti a principe ad aliquem locum cum potestate vel commissione, et nuntius dicitur mitti cum litteris ad alium. Unde ad missionem concurrunt quatuor, scilicet persona mittens seu destinans, persona missa, terminus ad quem

de novo mittitur, egressio seu processio ejus, qui mittitur ad suam functionem; potest autem dupliciter fieri ista missio, seu egressio ex parte personæ mittentis. Uno modo per imperium, quando scilicet persona missa movetur ad aliquid, et procedit ut subjecta, et inferior, sicut cum servus ad aliquid faciendum, vel alicubi existendum mittitur. Secundo modo datur missio per modum puræ egressionis, seu originis sine imperio, sicut radius emittitur a sole, fluvius a fonte, et sic missio, seu emissio est emanatio ad aliquem terminum, ubi de novo res ponitur, vel operatur.

Cum ergo missio importet istas duas habitudines, et origines ad mittentem, et connotationis novi effectus, seu novi modi existendi respectu termini ad quem mittitur, merito quæritur, quid principaliter, et formaliter importet missio, an ipsam processionem, et originem a Persona mittente, quæ in se æterna est, an functionem sui muneris, et effectum ipsum, qui temporaliter fit, et pro quo ex his supponat missio. Ex quo dependent aliæ quæstiones, quæ ex resolutione hujus dissolventur, videlicet an missio sit formaliter aliquid notionale in Deo, quia si dicit positionem novam effectus, pertinet ad virtutem efficiendi illum, quæ aliquid essentielle est; si vero dicit egressionem, vel originem a mittente, aliquid notionale est. Similiter an eadem Persona possit mittere se, an solum eam quæ procedit a se, et an solum Trinitas mittat Personas, vel una Persona aliam: effectus enim missionis sunt communes toti Trinitati.

Sunt duæ sententiæ in hac parte.

III. Prima dicit missionem supponere pro ipsa causatione effectus, quæ temporalis est. Hæc tribuitur magistro in 1, dist. xv, et ibidem Bonaventuræ, Scoti, et aliis, et idem

sentire videtur ibidem D. Thomas q. 1, a. 11, approbans opinionem quæ dicit consistere missionem non in aliquo notionali, sed essentiali: « Et hoc, inquit, mihi verius videtur considerata virtute vocabuli: missio enim secundum rationem sui nominis non dicit exitum ab aliquo, sicut a principio a quo missio esse habeat, sed solum in ordine ad effectum missionis ponitur auctoritas alicujus ad missum. » Et in 1 ad Annibaldum, dist. xv, quæstione unica, art. 11: « Alii, inquit, dicunt quod missio principaliter significat quod essentialiter est, et hoc videtur verius, » ponitque eandem rationem quam ex alio loco citavimus. Si ergo principaliter importat missio novi effectus designationem, et hic procedit non ab origine Personarum, sed ab omnipotentia Dei, et in quantum unus est: non ergo potest consistere formaliter in origine Personæ, et de connotato in effectu, sed positio effectus illius est formaliter ipsa missio.

Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex duobus.

IV. Primum, ex eo quod insinuat locis citatis a D. Thoma, quia missio non importat exitum ab alio secundum originem, et productionem sui in esse: nec enim dicitur mitti aliquid per hoc quod producat, et fiat, sed res quæ mittitur præsupponit esse, et existere in se, et cum existens est, mittitur, ut patet cum mittitur servus a suo domino: per talem enim missionem non producitur, sed productus supponitur, et ad aliquod ministerium destinatur: sed per originem divinam Personæ procedentes exeunt a suo principio quoad esse suum quod eis communicatur: ergo talis exitus, et origo, non est egressio missionis, neque missio potest supponere, pro tali exitu, qui sit origo secundum productionem, et esse.

Confirmatur, quia missio simpliciter est temporalis, et supponit pro aliquo temporali, juxta illud Galat. iv: *Quando venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, etc.* sed exitus, et origo notionalis Personarum est æterna: ergo missio non supponit pro tali egressione.

Confirmatur secundo, quia origines et processiones notionales in Deo sunt etiam naturales, et secundum actus naturales et necessarios ad intra: at vero missio est processio seu egressio ab aliquo moralis, et morali modo facta, id est, secundum destinationem ad aliquod ministerium quod fit vel rogando, vel consulendo, vel inducendo, aut imperando ad modum, quo legati vel nuntii mittuntur, unde dicitur Abdiæ 1: *Auditum audivimus a Domino et legatum ad genus misit*, ubi glossa per legatum intelligit Christum Dominum qui mittitur: legatio autem non destinatur per actum naturalem, et productionem originis, sed per moralem actionem et influxum sic destinantem. Et multo minus servit ad missionem origo, seu exitus notionalis Personarum a suo principio, quia per istam originem Personæ manent intra mittentem, nec exeunt extra illum: Filius enim in Patre manet: de ratione autem missionis est quod exeat et separetur a mittente, ut ex D. Hieronymo affert S. Thomas in 1 ad Annibaldum, d. xv, q. 1, a. 1 ad 1, nam Hieronymus super c. xvi Ezechielis ad illa verba: *Convertam restituens ea*, sic inquit: « Quod conjunctum et in uno corpore copulatum mitti non potest: » ergo processio illa quæ productum ponit intra mittentem, nequaquam servit pro vera, et propria missione, sed sola manifestatio effectus, qui de novo fit, ratione cujus mitti dicuntur Personæ quæ per eos manifestantur.

V. Alia sententia, et a nobis tenen-

da, est quod missio dicit, et supponit pro ipsa originem Personarum, non quatenus sistit in Personis originatis, et productis in se, sed quatenus extenditur ad temporalem Personarum manifestationem, et communicationem in creatura rationali, qui est novus effectus, et modus essendi in creaturis, et hic effectus est quidem factus communiter a tota Trinitate, sed est conditio, et connotatio quædam requisita ut processio illa divinæ Personæ sit missio, sicut connotatio effectus creati est conditio requisita ut actus voluntatis divinæ dicatur liber, qui in se entitative necessarius est. Hæc conclusio deducitur ex D. Thoma hic art. 11, præsertim solutione ad quintum; docet enim S. Thomas quod missio importat habitudinem ad principium in ordine ad terminum temporalem; generatio autem et processio important habitudinem ad principium in ordine ad terminum æternum, quatenus procedunt intra Deum. Et addit solutione ad secundum quod: « Missio includit processionem æternam, et aliquid addit, scilicet temporalem effectum: habitudo enim divinæ Personæ ad suum principium non est nisi ab æterno. Unde geminè dicitur processio, æterna scilicet et temporalis, non propter hoc quod habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis et æterni. » Ita D. Thomas ubi satis clare in ipsa processione æterna cum connotatione ad effectum temporalem ponit missionem, ita quod eadem origo est processio, et missio, sed ex parte termini est diversa, quia prout æterna, sistit in emanatione Personæ, prout missio extenditur ad manifestationem temporalem. Eadem ratione docet articulo quarto, Patrem non mitti, quia non importat originem ab alio, sicut Filius et Spiritus sanctus, licet etiam faciat

effectum temporalem, quem connotat missio aliarum Personarum, scilicet gratiam. Idem significat articulo octavo dicens, quod: « Non quælibet Persona mittit, sed ea a qua est processio. » Eadem est sententia Durandi in 1, dist. xv, q. 111, et sine dubio Cajetanus in hac quæstione, art. 1 et viii, ubi ponit ad primariam intentionem, seu formalitatem missionis pertinere, quod sit processio missi a mittente: sequitur Ferrariensis iv contra gentiles. c. xxiii, Bagnez super articulum secundum hujus quæstionis et communiter Thomistæ, estque iste modus sentiendi conformior Scripturæ, et patrum et rationi. Scripturæ quidem, quia dicitur Joan. viii: *Ego ex Deo processi et veni*: Joan. xvi: *Exivi a Patre et veni in mundum*; ubi ipsum venire in mundum mitti est, dicente Augustino lib 11 de Trinitate, c. v: « A Patre exire, et venire in hunc mundum mitti est. » Hoc autem venire conjungitur cum processione ipsa et egressione a Patre, quæ est ipsa ejus notionalis origo. Est conformior patribus: nam imprimis Hilarius lib. ix de Trinitate hunc ipsum locum Joannis xvi explanans: « A Patre, inquit, in hunc mundum venerat, quia a Deo exierat. Nam ut nativitatem suam in exitione significasse intelligeret, subjecit se a Patre venisse; et cum per id a Patre venerit, quod a Deo exierit, exitio ejus absoluta nativitas est, quam paterni nominis est professio consecuta. » Ubi ly per id a Patre venerit, quod a Deo exierit, manifeste ostendit venisse a Patre, quod pertinet ad missionem esse ipsum exire a Patre cum processione, seu manifestatione paterni nominis. Item Augustinus iv de Trinitate, c. xx: « Non secundum imparem potestatem, vel substantiam; vel aliquid quod Deo Patri non sit æquale, missus est, sed secundum

id quod Filius a Patre est, non Pater a Filio: Verbum enim Patris est Filius, quod et Filius ejus dicitur. Quid ergo mirum si mittitur, non quia inæqualis est Patris, sed quia est emanatio quædam claritatis Dei sincera? » Et infra: « Ab illo mittitur Dei Verbum, cujus est Verbum. Ab illo mittitur de quo natum est. Mittit qui genuit, mittitur quod genitum est. Et tunc unicuique mittitur, cum a quoquam cognoscitur, atque percipitur. Non ergo eo ipso quo de Patre natus est, missus dicitur Filius, sed vel eo quod apparuit huic mundo Verbum caro factum, unde dixit: Exivi a Patre, et veni in mundum, vel ex eo quod ex tempore cujusque mente percipitur, sicut dictum est: Mitte illam ut mecum sit, et mecum laboret. » Ubi clare Augustinus totam nostram tradit sententiam.

VI. Adjicio Gregorium Magnum homil. xxvi in evangelia super illud: *Sicut misit me vivens Pater*: « Eo ipso, inquit, a Patre Filius mitti dicitur, cum a Patre generatur. » Et infra loquens de Spiritu sancto: « Ejus missio, ipsa processio est, quia de Patre procedit, et Filio. » Et Beda homilia ii dominicæ primæ post ascensionem, lib. ii homiliarum: « Cum gratia Spiritus sancti datur hominibus, profecto mittitur Spiritus sanctus a Patre, et a Filio; a Filio procedit, et Patre, quia ejus missio est ipsa processio. » Denique in Concilio Florentino cum in sess. xxiii, Marcus Ephesius proposuisset auctoritates quasdam ex S. Basilio, ex S. Gregorio Nazianzeno, quibus dicebatur Spiritum sanctum a Patre, et Filio mitti, non tamen procedere: in sessione xxiv responsum est pro parte Latinorum a Joanne theologo, his verbis: « Verbum mittam, quid aliud obsecro significat, quam quod ex aliquo mittitur? Qui vero quippiam mittit, is

suum mittere videtur, et id quod mittitur ex ipso esse. Ita etiam Filius qui cum in generatione a consubstantiali Patre Spiritum sanctum accepisset, eandem et paternam facultatem, et naturam habens, eundem Spiritum mittere creditur. » Ubi responsio illa manifeste supponit missionem Spiriti sancti a Filio probare processionem ejus ab ipso, atque adeo missionem pro ipsa origine et processione notionali supponere, licet connotet effectum temporalem. Videndus est Athanasius in epistola ad Serapionem, quem citat S. Thomas opusc. primo, in titulo: Quod Filius mittit Spiritum sanctum ubi inquit: « Hic est ordo divinæ naturæ a Patre et Filio ut qui a nullo est, a nullo mittatur, et qui ab alio est, in nomine suo non veniat, sed in nomine illius a quo existit. »

VII. Ratio denique pro hac parte suffragatur, quia ex Scriptura constat dari missionem Personarum divinarum, quæ missio non potest intelligi sine habitudine ad mittentem, a quo exit res missa, et habitudinem ad terminum quo mittitur et destinatur, ut de novo ibi sit, vel aliquid faciat. Rursus ista missio, seu exitus a mittente non potest esse nisi vel moralis, et per moralem aliquem influxum aut destinationem, vel per physicam, et naturalem egressionem missi a mittente. Sed Personæ divinæ non potest intelligi quod egrediantur per moralem destinationem et influxum: ergo per naturalem originem. Minor probatur: nam moralis destinatio et emissio vel est per imperium, sicut mittuntur inferiores, et Angeli dicuntur a Deo mitti, et hæc missio non convenit Personis divinis, cum inferiores non sint. Vel est per orationem, et preces, sicut mittitur æqualis, vel superior, et hæc etiam non convenit Personis divinis, quia una Per-

sona non orat ad aliam, neque rogat, quia rogare indigentis est. Et cum Christus dicit: *Rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis*, de assumptæ carnis ministerio loquitur. Vel denique potest esse moralis missio per inductionem aut suasionem, vel commissionem alicujus auctoritatis. Et hoc non convenit Personis divinis, quia non possunt induci aut suaderi: ut enim argumentatur Augustinus ii de Trinitate, cap. v: « Quomodo misit Deus Filium suum? Jussit ut veniret, an rogavit, an tantummodo admonuit? Sed quodlibet horum sit, Verbo utique factum est; Dei autem Verbum ipse est Dei Filius. » Quare nulla moralis motio missionem hanc efficit: talis enim motio fit per propositionem objecti, et repræsentationem qua aliquid tamquam conveniens proponitur, ut alter moveatur, quod etiam in Personis divinis locum non habet, cum ex nova propositione objecti persuaderi non possint, et consequenter neque ex vi moralis persuasionis mittit, et multo minus per commissionem alicujus auctoritatis, quia Personæ divinæ non sunt capaces auctoritatis commissæ, qui supremam, et eandem habent auctoritatem, sed solum possunt eam habere communicatam, sed hæc communicatio est per naturalem et notionalem originem. Nec obstat quod nos oramus Deum, et morali modo cum inducimus ad subveniendum nobis. Nam, ut S. Thomas dicit 2-2, quæst. lxxxiii, art. ii ad i et ii: « Non est necessarium nos Deo preces porrigere, ut ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum. Nec oratio nostra ordinatur ad immutationem divinæ dispositionis, sed ut obtineatur nostris precibus quod Deus disposuit. » Tales autem preces non ha-

bent locum in divinis Personis, qui eadem auctoritate, dispositione, intelligentia et providentia utuntur.

Confirmatur, quia si missio supponeret pro origine seu exitu a mittente, sed tantum pro manifestatione Personæ in aliquo effectu, non esset ratio cur Pater non diceretur mitti, quod negat Augustinus ii de Trinitate, cap. v, si quidem Pater etiam manifestatur et cognoscitur in aliquo effectu de novo, in quo aliæ Personæ manifestantur: solum autem non dicitur mitti ex eo quod non habet originem ab alio, sicut ipse Augustinus dicit iv de Trinitate c. xx: « Pater cum in tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat. » Ergo processio ab aliquo est de ratione missionis. Moralis est exclusa: ergo naturalis requiritur.

VIII. Ex quo solvuntur fundamenta oppositæ sententiæ. Ad primum dicimus, quod D. Thomas statuit in illis locis missionem, secundum denominationem quam habet ex termino ad quem: inde enim accipit denominationem missionis temporalis ipsa processio, seu origo Personæ: nam, ut dicit in hac quæstione, art. ii: « Ea quæ important originem secundum habitudinem ad principium possunt determinare processionis terminum, et aliquando determinant terminum æternum, sicut ly generatio, et ly processio, aliquando temporalem, ut missio. » Sic ergo missio considerata secundum se, et secundum id quod dicit directe est processio notionalis; secundum denominationem autem qua denominatur missio, sic dicit effectum temporalem seu terminum, qui utique aliquid absoluta importat, scilicet effectum Dei ad extra. Unde S. Thomas distinctione illa decima quinta citata in ar-